



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XI. Vtrum in statu naturæ lapsæ possint elici aliqui actus morales boni
absque auxilio Gratiae per Christum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

supposito, prout supponit ubique Augustinus, vel citato expresse, vel sub verbis æquivalentibus sub-intellecto illo, aut simili alio testimonio, quod facit quique deprehendit ex lectione Augustini iisdem in locis, qui citari, & ponderari solent aduersus sententiam, quam defendimus, euidentissimum euadit argumentum inferens peccatum originale ex concupiscentia, ut nunc est, quatenus dona Dei sunt sine penitentia, nec ea semel data subtrahit nisi in penam peccatorum.

Art. 2. Hanc esse mentem, & illationem Augustini constat inter alia clarè ex cap. illo 9. l. 1. retract. Cum enim illam hypotheticam propositionem pronuntiasset, *Quamuis ignorantia, & difficultas, etiam si essent...* Immediatè subiicit: *Qua disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris Instrumenti*: Quali diceret; Idèd contra illos peccatum originale conuinci non potest, & necesse est concedere per modum hypothesis, ignorantiam, & difficultatem, hoc est, concupiscentiam, fuisse de facto hominis primordia naturalia. Contra Pelagianos autem, hoc defendendum est (subdit ibidem) quod utraque Scriptura commendat, atque adèd dari peccatum originale, eiusdemque penam esse de facto ignorantiam, & difficultatem, quæ sine iniustitia, & vituperio Dei potuerunt absolutè esse primordia hominis naturalia. Fundantur enim in aliqua bonitate, ratione cuius possunt esse proprietates homini connaturales, & continent formaliter aliquam imperfectionem, ratione cuius possint esse pena peccati respectu hominis antecederet eleuati ultra dignitatem suæ naturæ.

Art. 3. Secundo loco obseruandum maximè est, Augustinum non concludere peccatum originale ex concupiscentia utrumque non subiecta rationi; sed ex concupiscentia, qualis de facto existit regnans in carne peccati, & habens vim Legislatiuam, qua inducit aliam Legem in membris hominis: qualem concupiscentiam non futuram esse in statu puræ naturæ, tametsi subiecta rationi omninò non foret, sicut de facto fuit ante peccatum, ostensum iam est superiori nostro discursu in resolutione quæstionis.

Ad 7. Iam fusè expositum fuit, quæst. præced. Dilectionem Dei, seu potius sufficientiam ad Deum diligendum, de qua loquitur Augustinus, dum dicit eam esse innegabilem naturæ innocenti, non esse supernaturalem, & vndeque perfectam, quæ sola continet in se perfectam subiectionem rationis ad Deum; sed naturalem, & imperfectam. Quare nihil concludi potest ex illis locis pro re præsentis in fauorem obicientis. Ista distinctio naturalium, & supernaturalium operationum illustrabitur adhuc ulterius quæstione seq.



QVÆSTIO XI.

Vtrum in statu naturæ lapsæ possint elici aliqui actus morales boni, absque auxilio Gratia per Christum?



Id est Vtrum non posse. 1. Quia Liberum arbitrium est indifferens ad plures operationes, & ad plures causarum exteriorum occurfus, ex quibus diuersæ cogitationes suboriri possunt, aliæ efficaces, aliæ inefficaces. Nequit autem istam suam indifferentiam per seipsum de-

terminare, nec eligere, ac sibi promittere occursum causarum, à quibus proueniunt cogitationes congruæ, potius quàm incongruæ; cum neque præsciens sit homo euentum sub vnaquaque futurorum, atque vt esset præsciens, non posset electione sua prouenire causas ipsius electionis. Ergo ad Gratiam Dei spectat solam, vt vnicuique prouideat eas potissimum causas, ex quibus tandem proueniat operatio bona; & cohibeat causas, ex quibus proueniret omisso, vel operatio mala contraria, ac prouideat nunquam quisquam potest vllum actum honestum elicere, absque interuentu gratiæ prouidentia Dei. Huc respexit Aug. quæst. 2. ad Simpl. dum dicit. *Quid animo complectitur aliquid, quod eum non delectet? An quis habet potestatem vt vel occurrat id, quod eum delectare possit; vel delectet cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbatur Gratia Dei, non nutu nostro, & industria, nec operum meritis comparatur.* Et rursus: *Voluntas nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque immuet animum, moveri nullo modo potest, hoc autem, vt occurrat, non est in hominis potestate.* Quo eodem argumento vtuntur eandem in rem Anselm. de Concord. Grat. & lib. arbit. Et D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 2. & q. 24. de Verit. a. 14. Patet autem hoc argumentum eodem modo, & æquali vi, complecti omne genus operum bonorum, siue naturalia, siue supernaturalia finis; siue parua, siue magna. Nullum igitur prorsus opus bonum fieri potest absque Gratia Dei per Christum; eaque Gratia, quam Augustinus contra Pelagium defendit. Nempe agens contra ipsum hoc argumentum utitur, tum loc. cit. tum alibi sæpe.

2. Ex eo quod petimus à Deo, vt conuertat nos ad se; vt det nobis Fidem, perseverantiam, & similia; concludit Augustinus, & quidem frequentissimè, ac confidentissimè aduersus Pelagium, ad Gratiam Dei id pertinere, nec sine Gratia Dei haberi posse. Quia vt dicit Epist. 90. *Ipsa oratio clarissima est Gratiaustificatio.* Patet autem cogitationem congruam etiam naturalem, ad quodlibet opus bonum, etiam morale, etiam facillimum, esse idoneam materiam orationis. Quandoquidem est conferibilis, & negabilis à Deo, cui & quando vult, vt liquet ex dictis quæst. 2.

3. Ad veram Dei Gratiam spectat, quodlibet bonum nostrum, de quo iam habito speciales ipsi gratias agere tenemur, distinctas à gratiarum actione debita ob beneficium Creationis. Quod itidem principium est frequentissimum Augustino aduersus Pelagium, vt cap. 19. de Prædest. Sanct. & Epist. 107. longè ante medium. Manifestum autem est, teneri vnumquemque bene operantem ad specialem eiusmodi Gratiarum actionem, pro suo bono opere, & congruitate cogitationis ad illud. Ergo quodlibet bonum opus, cuiuscumque conditionis sit, spectat ad veram Dei Gratiam, nec haberi potest sine vera Gratia Dei.

4. Nihil notius est apud Augustinum, vt liquet præsertim ex lib. de dono perseverant. quàm perseverantiam finalem in accepta iustitia esse donum Gratia Dei, & nemini contingere posse absque speciali, & verissima Gratia per Christum, quod est etiam ex fide, vt dicitur in loco. Posset autem contingere sine vera Gratia per Christum, si posset absque eadem fieri aliquod bonum opus morale. Quia per quodvis bonum opus morale, potest in aliqua circumstantia vitari peccatum, quod si committeretur, tolleret perseverantiam finalem in Gratia. Contingere enim potest hominem mori non occurrente occasione in illa vltima periodo, nisi operis morales facillimi, & vnici, quo directè, vel indirectè impediatur peccatum. Ergo nullum bonum opus morale, etiam facillimum, fieri potest sine vera Gratia per Christum.

5. Esto

5. Esto natura lapsa habeat sufficientiam antecedentem ad opera bona moralia, saltem ea quae sunt intrinsecè, & extrinsecè facilia; Cæterum nullus est eiusmodi actus, ad quem non sit necessaria Gratia necessitate consequenti, quatenus cogitatio congrua est ita necessaria ad quodvis opus bonum, vt repugnet illud absque ipsa executioni mandari, & tamen negari illa à Deo potest, quandocumque, & cuiusque libuerit; Si quidem potest vntumquemque constituere pro libito, vel in his circumstantiis, in quibus re ipsa est operaturus bene; vel in iis, in quibus re ipsa est peccaturus: Atque idè est Gratia specialis, absolutè distincta à dono creationis, vt collocetur in prioribus circumstantiis, & fortietur cogitationem congruam. Quod fundamentum prosequitur fusè Vasquez tom. 2. in 1. 2. disp. 189. c. 13. & disp. 190. c. 12.

6. Deus de facto præuenit per Gratia supernaturalis auxilia omnes conatus honestos naturæ, ita vt quoties proditura foret in solos actus bonos naturales, si destitueretur gratia, prodeat simul in actus supernaturales. Nempe nos distinguere nequaquam possumus inter actus, & motiua naturalia, ac supernaturalia; ideoque simul præuenit cognitione naturali, & illustratione supernaturali, non sumus liberi ad bene sic, vel aliter operandum, licet simus liberi ad bene, vel malè operandum simpliciter. Quare licet natura lapsa sit per se sufficiens ad actus bonos naturales, absque Gratia; tamen de facto habet concomitantem Gratia necessitatem, ad quemlibet eorum eliciendum, propter assiduam, & inuitabilem assentientiam ipsius Gratia, atque inde prouenientem inseparabilitatem actus boni naturalis à supernaturali. Quam in rem multa molitur P. Ripalda tom. 1. de ente supern. disp. 20.

7. In penam peccati originalis debetur homini carentia omnis cogitationis congruæ; ideoque Deus potest, ac debet eligere nobis in penam peccati cogitationes incongruas, pro omnibus, & singulis oportunitatibus operandi. Ergo si dederit pro præfati statu cogitationem aliquam congruam, cum qua de facto operemur bene, ea erit Gratia specialis distincta à dono operationis, à qua vtique distincta proculdubio est qualibet remissio pœnæ debite pro peccato. Quod nonnulli moderni Auctores promouere conantur iis testimoniis, quæ insinuat sunt quaest. 7. negantia libertatem, ac sufficientiam arbitrii, præterquam ad peccandum, si non iuuetur gratia Dei ad omnes, & singulos actus per momenta, per atomos. Ergo natura lapsa est impotens saltem moraliter ad omne, & quodlibet opus bonum, etiam naturale, etiam minimum, ac facillimum absque adiutorio Gratia.

Art. 1. Resp. Duo sunt certa. Alterum est, naturam lapsam habere absque Gratia sufficientiam simpliciter antecedentem, saltem physicam, ad opera bona moralia. Quia est sufficiens, saltem physicè, ad peccandum, tamen si nulla ex parte actus primi præueniatur Gratia Dei. Sufficientia autem ad peccandum includit in se sufficientiam, saltem physicam ad vitandum peccatum, quod non nisi per actum bonum totaliter vitari potest, vt liquet ex quaest. 2. Alterum est: Ad quodlibet opus bonum, esse necessariam, vt minimum necessitate consequenti, Gratiam aliquam, saltem comparatiuè distinctam à dono creationis, idque à fortiori pro statu naturæ lapsæ, vt liquet ex quaest. 4. Quia verò quacumque Gratia, quomodolibet distincta à dono creationis confersens suæ positinè, siue negatiuè tantum in vitam æternam, dependet de facto ex meritis Christi, vt dicitur in quaestione de Incarnatione; certum consequenter est, aliquam Gratiam, quæ aliquo modo sit per Christum, esse necessariam

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

de facto ad quodlibet opus bonum, cuiuscumque gradus, & perfectionis sit.

Art. 2. Controuersia igitur solum superest de necessitate Gratia supernaturalis quoad substantiam, cui soli conuenit esse Gratiam per Christum intrinsecè, & per se. Dicendum verò est, naturam lapsam posse, atque de facto elicere aliquos actus bonos morales absque eiusmodi Gratia per Christum. Probatur 1. ex August. c. 27. de Spirit. & lit. fin. vbi sic ait: *Quadam tamen facta* (Ethnicorum operantium sine Gratia) *vel legimus, vel audimus, quæ secundum iustitiae regulas non solum vituperare non possumus, sed etiam merito, recteque laudamus.* Neque obstat, quin potius iuuat aduersaria, quam immediatè subiungit. *Quamquam si discutiatur quo sine fiant, vix inueniuntur quæ iustitiae debitam laudem, defensionemque mereantur.* Si enim, *Vix inueniuntur*; certè inueniuntur aliquando, licet rarè: Rufus cap. 28. Init. pronunciat; *Imaginem Dei non ita detritam esse post peccatum, terrenorum affectuum labe, vt nulla veluti lineamenta extrema remanserint, etiam in Idololatriis, unde aliqua legis facere, vel sapere merito dici possint.* Licet autem hæc duo capita committat Augustinus hypothese quadam longa formata ex mente aliorum, sitque propterea suspensus, & imperfectus sensus eorum, quæ intericit, quoad intelligentiam testimonij Apostolici, de quo ibi agit; tamen ea quæ modo commemorata sunt, intericit ex mente propria, & affirmat absolute, vt liquet ex contextu, & conuincit Suar. tom. 1. de Grat. lib. 1. c. 9.

Art. 3. Idem colligitur ex frequenti doctrina Augustini. l. 4. contra Iulian. c. 3. lib. de bono Coniug. c. 6. lib. 1. de Nupt. c. 3. lib. de perfect. Iust. sub fin. & alibi, admittentis possibilitatem coniugij, & eius vltus sine peccato, & gratia salutari, de qua agit contra Pelagianos illis libris; necnon Epist. 130. vbi affirmat, Continentiam Polemonis Gentilis, licet inutilem ad salutem, honestam tamen fuisse. Idem asserit lib. de Patient. c. 27. de Patientia Schismatici multa perferentis ne Christum abnegaret. Accedit Auctor Hypognostici, qui est totus Augustinianus, si & Augustinus ipse non est, lib. 3. sub init. *Esse scemur*, ait, *Liberum Arbitrium omnibus hominibus habentibus iudicium rationis, non quia sit idoneum, quæ ad Deum pertinent* (id est salutaria) *sine Deo inchoare, aut certè peragere, sed tantum in operibus vite præsentis, tam bonis, quam malis; bonis dico, quæ de bono natura oriuntur.*

Art. 4. Idem præterea luadetur ratione. Tantus, vt minimum, est ex natura rei impetus rationis in bonum honestum; tantaque vis ipsius boni honesti, quantus est impetus appetitus sensitini in bonum delectabile, & quanta est vis eiusdem boni delectabilis. De quo videtur dubitari minimè posse, obseruato infinito excessu bonorum, quæ proponit ratio præ iis, quibus allicit appetitus. Impetus autem appetitus sensitini est tantus, & tanta vis boni delectabilis, vt necesse sit, in aliqua leuia peccata aliquando incidere hominem quantumlibet iustum, & quantalibet ordinariæ Prouidentia Gratia suffultum, dum est in via. Necesse igitur similiter est, nedum possibile, vt homo, quantumlibet malus, ac malè dispositus, & Gratia salutari auxiliis destitutus, aliquando eliciat aliqua opera honesta facilia, & exigua, propter impetum rationis, & vim attractiuam boni honesti. Huc respexit Augustinus, c. 28. de Spir. & Lit. ante med. dum dixit. *Sicut enim non impediunt à vita æterna iustum quedam peccata venialia, sine quibus hac vita non ducitur: Sic ad salutem æternam nihil profunt impio aliqua bona opera sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* Non autem vsque adeò difficile inuenitur absque opere salutari, cum à motiuis supernaturalibus animum faciliè auertant mortales, vel

Q q vniuer

vniversali, ac habituali omnium eorum neglectu, propter arduum ipsorum; vel propter delectationem specialem vnus cuiusque motui connaturalis. Neque verò dici potest, nomine bonorum operum intelligi ab Augustino, solas actiones exteriores, quantum est ex se bonæ. Quia illa contraponit peccatis venialibus Iusti, quæ certè talia dicuntur relatè ad actum internum peccaminosum, & cum eiusdem, vt talis inclusione.

Art. 5. Circa istud argumentum tria consideranda sunt. Ac primum, difficultas, vt quis longo viuat tempore, quin vel vna vice verum, & ex veri amore asserat, narret, aut promittat. Nullum vnquam concipiat affectum, aut propositum, vel leuissimum sinceræ gratitudinis, vrbauitatis, pietatis, institutendæ melioris vitæ, fugiendæ æternæ damnationis, Beatitudinis procurandæ, &c. Alterum est, plures esse actiones externas, quarum secundum se superata difficultate, nulla, aut vix vlla supersit noua difficultas in executione earum ex motu honesto. Nec dubitare Auctores contrariæ sententiæ, quin plures actiones externæ ex se bonæ sint possibiles, & fiant de facto à natura lapsa. Tertium est, sæpè contingere, vt quæ reddunt valde difficilem aliquem actum honestum, eadem valde facilem reddant alium actum honestum; vt quæ vehementer impellunt ad prodigalitatē, dant facilitatem ad actum liberalitatis; Et quæ audaciam fount, atque temeritatem, eadem fortitudini facilem viam sternunt. Est itaque impossibile, vt dum est homo in statu viatoris, sit semper, aut etiam plerumque constitutus in impotentia morali omnium simul actuum honestorum. Quod si vnique inest aliquoties moralis potentia bene operandi ex natura rei, atque independentè à vera Gratia Dei per Christum; consequens est, vt aliquis aliquando aliquod bonum opus morale efficiat absque eadem Gratia, vt concluditur ex dictis q. 5. Potest igitur natura lapsa elicere aliquem actum moralem bonum, saltem facillimum, absque auxilio Gratiæ per Christum simpliciter, ac per se talis.

Art. 1. Ad 1. 2. 3. & 4. Ex ratione communi qualicumque indifferentiæ ad varios occurfus causarum, & euentus inde prouenientes inter se dispares, orationis, gratiarum actionis, perseverantiæ finalis in non peccando, nullatenus probatur Gratia absolutè, & moraliter distincta à dono creationis, & positivè potius, quàm purè negatiuè salutaris. Quia in homine datur eiusmodi indifferentia, etiam ad occurfus causarum conferentium bonam indolem, præclarum acumen ingenij, sanitatem robustam, diuitias, & similia quamplura; atque his bonis opposita mala. Eadem bona possunt esse materia orationis, & consequenter Gratiarum actionis; quia pendunt ex libera diuinæ Prouidentia dispositione sistentis vnumquemque pro libito iis, vel illis causarum naturalium occurfibus, feracium, vel bonorum, vel malorum, plurium, vel pauciorum, maiorum, vel minorum. Iam perseverantia finalis contingere potest per obitum, aut amenitatem immediatè conlecutam ad instans iustificationis, non minùs, quàm per actum bonum naturalem, nec non per actum indifferentem in individuo, in sententia illum admittente, vt admittit Vasquez. Posset enim actus indifferens impedire saltem indirectè peccatum lethale in ultimo instanti vitæ; & tamen neque hic actus, neque illa bona ab vllò Theologo censentur Gratia per Christum, qualis ab Augustino intendebatur contra Pelagium; dum contra illum premeret quatuor illa Argumenta. Minus igitur aptè ea adducuntur contra præsentem nostram sententiam, sub illa generalitate terminorum.

Art. 2. Pro efficacia igitur illorum ex mente Augustini contra Pelagium intimè penetranda: Sciendum

est non eodem semper modo, nec in eundem semper scopum efformasse Augustinum, ac direxisse ea Argumenta aduersus Pelagium. Quia nec vno tantum modo aduersus illa peccabat Pelagius. Duplex nimirum erat eius error circa necessitatem Gratiæ. Alter namque erat, quo negabat immediatam, & immediatè liberam Prouidentiam Dei in rerum gubernatione, maximè verò eam, quæ miseretur, cuius vult, & quem vult indurat; suppeditando siue in ordine naturali, siue in supernaturali, cui vult, cogitationem congruam; & cui vult eandem subtrahendo, vt colligitur inter alia ex Prospero c. 30. & 35. contra Collatorem, nec non ex Hieron. in Epist. ad Celsiphōt. pag. apud me 4. & lib. 1. dial. adu. Pelag. At enim prosper, Deum ex sententia Pelagij esse tantum spectatorem operum nostrorum. Et Hieronymus eundem ex sententia eiusdem, dimittere in operibus nostris, data semel liberi arbitrij potestate. Idem colligitur ex Orosio referente in Apologia de Libero Arbitrio, Deum iuxta errorem Pelagij, custodire tantum naturam, quam semel bene disposuit, & elementariis cursibus insituit, inde facere quæ fecit. Scilicet sine noua libertate, & electione circa singula vnique propicia, vel aduersa. Alter error erat, ilque præcipuus, vt liquet ex omnibus Augustini libris contra Pelagium, & ex locis infra singillatim producendis, Opera salutaria non esse supra vigorem naturæ, & liberum arbitrium illis solis subsidij suffultum, quæ emanant ex causis sensibilibus, sufficere ad executionem illorum.

Art. 3. Priorem errorem conuincunt manifestè quatuor illa Argumenta Augustini sub iis terminis generalibus, sub quibus obiciuntur à Vasquez, & quoad hanc partem, egregiam ipse operam præstat aduersus errorem Pelagij locis citatis, vrgendo quamdiu gentissimè Argumenta illa Augustini. Cæterum secundum errorem eadem Argumenta sub eadem generalitate, & ratione communi non modò non impugnant efficaciter, sed ne attingunt quidem directè, & immediatè. Quapropter Augustinus, cum vult hunc scopum ferire, adiicit terminos magis particulares, quibus particularem errorem determinatè comprehendat. Ea videlicet est eorum Argumentorum aptitudo, vt cuiusque materiæ accommodentur, & qui semper vi concludant rationem, & necessitatem Gratiæ. Quia enim vnusquisque homo est indifferens ex se ad occursum causarum potentium inducere pulchritudinem, bonam indolem, ingenium, sanitatem, vel defectus iis perfectionibus contrarios, rectè concluditur eas perfectiones pertinere ad Gratiam Dei, respectu cuiusque individui determinati. Rursum quia similis est indifferentia ad causas inductivas cogitationis naturalis congruæ, & incongruæ, & sic de quolibet alio bono, ad quod detur similis indifferentia in causis, eadem ratio gratiæ in iis quoque concluditur. Idem prorsus cernitur in oratione, quæ pro diuersitate rei, & modi, quæ & quo petitur, diuersimodè rationem Gratiæ concludit, idque ipsum est gratiarum actioni commune.

Art. 4. Iam verò Augustinum, quando Gratiam salutarem, eandemque intrinsecè supernaturalem concludere voluit, adiunxisse terminis illis vniuersalibus, alios magis particulares, quibus eam complecteretur, demonstrari facile potest. Atque in primis, quod ad indifferentiam attinet, in illo ipso loco ad Simplicianum post illos terminos vniuersales adiunguntur illi magis particulares. Cum ergo nos ea delectamur, quibus proficiamus ad Deum, &c. Quo nihil manifestius dici potuit pro determinanda, & comprehendenda Gratia salutari, ac supernaturali. Circa orationem do specimen cæterorum, ex Epist. 89. prope initium, ubi pro necessitate Gratiæ salutari viurpat orationem agnoscentem humiliter debilitatem virum, & propriam

propriam impotentiam antecedentem. Valet itaque Liberum Arbitrium ad opera bona, si diuini adiunetur, quod sit humiliter petendo, & faciendo. Non enim omnis, qui viribus suis confidit, saluus erit, sed omnis, qui inuocat Nomen Domini, saluus erit. Et rursus. Inbet idem, ut facere iussa conati, & nostra infirmitate sub Lege fatigati, adiutorium Gratiae posce nouerimus. Ergo oratio probans necessitatem Gratiae ad opera salutaria, non est quae nititur soli impotentiae consequenti, & rationi communi dependentiae à providentia Dei, sed quae subuenit debilitati virium, & impotentiae antecedenti; adeoque per Gratiam distinctam à determinatione causarum naturalium ex se indifferentium, & contentam in potentia Dei, quatenus excedit vim, & exigentiam, etiam vagam earundem naturalium causarum.

Art. 5. De Gratiarum actione nihil opus est seorsim adicere, cum manifestum sit eandem esse rationem de ipsa, atque de oratione. Circa Perseuerantiam finalem hoc certum est, non propterea praedicari necessariam Gratiam specialem, & à dono creationis absolute distinctam pro illius consecutione. Quia omnis actio, omnisque euentus impediens interpositionem peccati post iustificationem, & ante mortem, est eiusmodi Gratia specialis, aut à Gratia speciali dependens, si seorsim, & secundum se praecise consideretur, ut patet ex euentu amentiae immediate consecuto post iustificationem, & in quolibet alio adiungente mortem naturalem iustificationi, quin interponatur aliqua tentatio insuperabilis per vires naturales, aut praecceptum iniungens pro tunc actum supernaturalem. Dicitur ergo in his casibus perseuerantia finalis in accepta iustitia, Gratia specialis absolute distincta à dono creationis: Quia accipitur in conuero simul cum iustificatione praecedenti, vel denominatione ab eadem.

Art. 6. In aliis autem casibus eadem est necessitas Gratiae salutaris ad perseuerantiam finalem, & non finalem, seu vtraque habet eandem rationem Gratiae. Qua de causa Concilium Tridentinum promittit de vtraque definiuit sess. 6. can. 21. Si quis dixerit iustificationem, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta iustitia perseuerare posse; vel cum eo non posse, anathema sit. Quod accipiendum esse de perseuerantia rationali, & libera per aliquod temporis intervallum cum interuentione difficultatum communiter occurrentium in vita mortali; non verò de illo alio priori perseuerantiae genere, liquet ex Aug. c. 16. de bono perseu. Vide, ait, quam à veritate sit alienum negare, donum Dei esse Perseuerantiam usque in finem, cum vita huius, quando voluerit, ipse det finem, quem si dat ante imminuentem lapsum, facit hominem perseuerare in finem. Ergo quod perseuerantia finalis in Gratia possit vltimo compleri per aliquod opus bonum morale, non magis probat necessitatem Gratiae, quae sit proprie, & per se per Christum, ad illud efficiendum, quam probetur eiusdem generis Gratiam esse necessariam homini iusto, ut moriatur ex vi causarum naturalium; & omnino naturaliter.

Art. 1. Ad 5. Conceditur sponte, congruam quamlibet cogitationem habere rationem Gratiae per Christum respectu cuiuslibet indiuidui determinate sumpti, vt initio positum est, sed negatur solam consequentem Gratiae necessitatem, edoctam esse à Conciliis, & sanctis Patribus aduersus Pelagium. Constat enim ab illis asseri necessitatem simpliciter antecedentem Gratiae ad quoslibet actus salutes; nempe sine qua tales actus non solum non existent; verum neque homo erit antecedenter sufficiens ad illos eliciendos. Id enim repugnat doctrinae stabilitae q. 7. per totam.

Art. 2. Deinde idipsum ostenditur vterius ex Augustino l. 1. de Grat. Christi, c. 12. Haec Gratia (quae

R. P. Esparza. Curs. Theol. Tom. I.

libet salutaris) si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius, & intimius eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, & non solum per eos qui plantant, & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultis. Vbi patet, non solum commendari occursum talium, vel talem causarum, & circumstantiarum conferentium ad congruitatem cogitationis intrinsece naturalis; sed etiam entitatem ipsam altam, & secreta illustrationis interioris. Consequenter ad haec c. 8. de praedest. Sanctior. ad med. exaltat Gratiam salutarem supra sensuum ministerium. Valde remota est, ait, à sensibus haec Schola, in qua Pater auditur, & docet ut veniamus ad Filium. Idem docet magnifice, & efficaciter Epist. 107. ante med. Consonat Fulgent. de Incarn. & Grat. fine. Frustra, inquit, sermo diuinus exterioribus auribus sonat, nisi Deus spiritali munere auditum interioris hominis aperiat. Patet verò cogitationem entitativè naturalem, siue congrua, siue incongrua sit, non esse valde remotam à sensibus, nec respectu eorum altam, secretamve, dici posse; aut Spirituale munus sermoni diuino superadditum.

Art. 3. Adde Augustinum c. 1. de Praedest. Sancti. ubi gaudent, & approbanter refert Necellum Massiliensium à Pelagio, quoad necessitatem Gratiae ad incrementum fidei, & opera: Capite verò 2. tantum optat, ut eandem eiusdem Gratiae necessitatem agnoscant ad initium fidei, & reliquos praevios conatus salutes. Certum autem est Massilienses idem Providentiae genus, quoad omnia statuisse; nec disparem in Deo constituisse libertatem pro exterioribus opportunitatibus cogitationis congruae ad initium fidei, & ad eius augmentum. Ergo non de ea solum Gratia disputatum est cum Pelagio, quae consistit in praevisione, & libera electione congruitatis. Vnde obiectio illa, cum habeat speciem plus iusto commendantis necessitatem Gratiae per Christum, re ipsa pugnat aduersus veram Christi Gratiam verè salutarem, & sufficientem ad opus meritum vitae aeternae; ideoque conceditur illi intentum, negata tamen falsa, qua laborat, suppositione.

Ad 6. Ea obiectio non magis adstruit necessitatem Gratiae iuxta mentem Conciliorum, & Patrum contra Pelagium. Quia Concilia, & Patres definiunt, ideo dari Gratiam à Deo, quia est necessaria, & ideo esse necessariam, quia opera sunt supra vigorem naturae, ut constat ex nuper dictis, & ex eadem illa quaest. 7. Obiectio autem contendit de conuerso, ideo esse necessariam Gratiam, quia datur, & quia eius existentia, atque influxus sunt inevitabiles; cum alias opera bona contineantur in vigore naturae, etiam lapsae. Rursus ea necessitas Gratiae, qualiscumque demum ea sit, est communis naturae integrae, & lapsae, necnon operibus, vtrumque, vel difficilibus, vel facilibus, nullaque per eam statuitur; sed magis excluditur debilitas specialis naturae inducta per peccatum, contra ea quae dicta sunt quaest. 10. Non ergo attingit ea Doctrina scopum controuersiae, iuxta principia legitima de Gratia. Falsum praeterea est voluntatem praeventam simultaneè cognitione naturali, & illustratione supernaturali, non posse discernere, & eligere liberè inter actum, & motum naturale, & supernaturale, de quo alibi dicitur commodius.

Art. 1. Ad 7. Eius obiectio auctores supponunt nihil innouatum esse ratione peccati, quoad sufficientiam bene operandi; ac proinde dari frequenter in quolibet homine, non obstante peccato, sufficientiam moralem bene operandi absque Gratia distincta à dono creationis. Constat autem ex qu. 5. inde consequi necessariò existentiam congruae cogitationis aliquando, in aliquo homine. Ergo inconsequenter dicitur, congruam cogitationem esse Gratiam

O o 2 distin

distinctam à dono creationis ex suppositione peccati, respectu totius hominum collectionis. Deinde Deus non potest in pœnam peccati eligere auxilia inefficacia, prout inefficacia; ita ut intendat inefficaciam ipsorum, respectu cuius solum permissiue se habere potest, ut dicitur in quæstionibus de Deo, explicando effectus prædestinationis, & reprobationis.

Art. 2. Denique natura lapsa, licet amiserit in pœnam peccati, quæ pendent à misericordia Dei, quatenus gratia respectu cuiusque, retinet tamen omnia, quæ pendent ex determinata exigentia causarum naturalium, inter quæ reperiri vagè, saltem respectu aliquorum, cogitationes aliquas congruas, suadent efficaciter considerationes notatæ in fine responsionis ad quæstionem. Idem confirmat, quod homines Iusti merentes vitam æternam, non propterea merentur, ne vlla vnquam sibi detur cogitatio incongrua, cum qua inducatur peccatum lethale: licet necessarium id sit ad consecutionem præmij. Ergo nec peccator meretur ratione peccati, ut destituatur dum est in via, omni cogitatione congrua, licet mereatur æternam damnationem, ad quam deinde consequitur priuatio omnis cogitationis congruæ.

Art. 3. Ad id quod additur de natura lapsa insufficiente ex se præterquam ad peccandum, si non adiuvetur Gratia Dei per Christum, iam innotuit quæst. 7. ad 2. quo sensu accipiendum sit, quando id dicitur ab Augustino, & aliis Scriptoribus sacris: nempe accipiendum esse non de insufficientia ad quodlibet opus vltimumque bonum, & expers propria malitiæ peccaminosæ; sed de sola insufficientia ad opus salutare, seu meritum visionis Dei.

Art. 4. Adde in confirmationem huius distinctionis agnitæ, & usurpatæ ab Augustino, testimonium eius ex lib. 4. contra Iulian. Pelag. cap. 3. prope finem. Cum enim multus esset Iulianus in laudandis quibusdam infidelium operibus: *Aur certe, reponit Augustinus, quoniam saltem concedis, opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere; scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei Gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei, & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perducere.* Et mox immediatè subiungit, se nihil curare, an præter hæc sint alia bona opera, aliæque virtutes, quibus nihil malitiæ, aut peccati adiunctum sit, quia id nihil intererat pro scopo eius controuersie. Ait enim: *Omnia proinde cetera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine villo facta peccato. Quod ad me attinet (scilicet ad scopum pertinet disputationis contra Pelagianos) hoc scio, quia non ea facit voluntas bona.* Ea nimirum bonitate, quam immediatè exposuerat perducentem in Regnum Cælorum. Igitur sufficientia naturæ lapsæ, & exclusio necessitatis tam consequentis, quam antecedentis gratiæ simpliciter, & per se per Christum ad opera bona moralia, saltem minima, & facillima, nihil continet menti, ac intentioni Augustini contrarium, nec reprobat generalibus testimoniis de insufficientia naturæ lapsæ, præterquam ad peccandum.

QVÆSTIO XII

Vtrum natura lapsa sufficiat absque auxilio Gratia per Christum ad obseruantiam totius Legis naturalis?



IDEIVR sufficere. 1. Quia obseruantia totius legis naturalis continetur in actiuitate, & viribus naturæ, absque adiutorio supernaturali; quandoquidem nihil illa supernaturale in se continet. Actiuitas autem, & vires purè naturales non desunt naturæ lapsæ. Ergo nec deest sufficientia ad totam legem naturalem. Nec obstat vires naturæ lapsæ esse minores, quàm forent in pura natura, ut dictum est quæstione decima. Hinc enim solum deducitur, obseruantiam legis naturalis esse difficiliorem naturæ lapsæ, quàm foret puræ; non tamen esse absolutè impossibilem.

2. Effectus ad quem est necessarium principium supernaturale, est supernaturalis. At gratia per Christum propriè, & simpliciter talis, est intrinsecè supernaturalis, ut dictum est supra quæstione septima. Ergo obseruantia totius legis naturalis, si quidem & ipsa naturalis est, præstari potest absque gratia per Christum propriè, & simpliciter tali.

3. Si non possit præstari obseruantia totius legis naturalis per solas vires naturales, neque etiam præstari posset per supernaturales Gratia, quia auxilia supernaturalia non possunt influere in actus naturales, quibus constituitur obseruantia legis naturalis. Auxilia namque supernaturalia proponunt sola motiua supernaturalia: ideoque ad solos actus supernaturales inueniunt voluntatem; ideoque ad solos illos cooperari possunt. Absurdum autem est, legem naturalem præstari non posse villo pacto: præstari igitur naturaliter potest.

4. Potest natura lapsa superare grauissimas quilibet tentationes absque villo auxilio gratiæ supernaturalis. Aliàs neque leuissimam vllam tentationem superare posset, nisi praueniens Gratia Dei per Christum. Fieri nimirum potuit, ut quodcumque occurrit tentatio leuis, occurreret tentatio grauissima. Ac proinde ad eandem gratiam spectat, quod non adit grauissima tentatio, ad quam spectat, ut eadem superaretur si esset præsens. Constat autem ex quæstione præcedenti, aliquam tentationem superari posse sine gratia Christi. Quia constat siue ipsa fieri posse bonum opus facillimum, & vitari peccatum vitatu facillimum, & neutrum sit, non superata aliqua tentatione in contrarium. Quia omnis vitans liberè peccatum, superat aliquam ad illud inclinationem, quæ habet rationem alicuius tentationis. Ergo potest superari grauissima etiam tentatio absque gratia Christi: atque potestas ad superandas istiusmodi tentationes, est potestas ad obseruantiam totius legis, vtpote, quæ sola vi vltiorum tentationum reddi potest insuperabilis, & impar viribus naturalibus.

5. Ideò qui est in statu peccati personalis, non potest diu permanere in illo statu, quia, ut argumentatur D. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 8. est habitualiter auersus à Deo, hoc est, habet habitum relictum à peccato, per quem disponitur eius animus ad contemptum Dei, & ad amplectenda bona temporalia cum iactura eiusdem. At peccatum originale non inducit

ultimo